

**Examen rationum sectionem ossium pubis oppugnantium vel limitantium :
Quod dissertatione inaugurali ... Gratosae Facultatis Medicae consensu
Paeside ... Christiano Frid. Jaeger ... pro gradu doctoris medicinae die Maj.
MDCCLXXX. Exhibetet publicae ventilationi submittit auctor respondens
Josephus Fridericus Irion Tubingensis.**

Contributors

Jaeger, Christian Friedrich, 1739-1808.
Irion, Joseph Friedrich.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

[Tübingen] : Typis Reissianis, 1780.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kn5y67u2>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

L. J. Rehmann

Rosenburg

Glasgow
University Library



Huntian
Add. 118

*EXAMEN RATIONVM SECTIONEM
OSSIVM PVBIS
OPPVGNANTIVM VEL LIMITANTIVM.*

QVOD

DISSERTATIONE INAUGVRALI
AVSPICE DEO

*RECTORE VNIVERSITATIS EBERHARDINO CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO*

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO

C A R O L O

DVCE WVRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE REL. REL.

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV
P R Æ S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

CHRISTIANO FRID. JÆGER


PHILOS. ET MEDICINÆ DOCTORE, PATHOLOGIÆ AC THERAPIÆ
PROFESSORE PVBL. ORD.

FAVTORE AC PATRONG COLENDISSIMO
PRÆCEPTORE SVO PIE VENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS MEDICINÆ
DIE *MAJ. MDCCLXXX.*

EXHIBET ET PVBLICÆ VENTILATIONI SVBMITTIT
AVCTOR RESPONDENS

JOSEPHVS FRIDERICVS IRION
T V B I N G E N S I S.



TYPIS REISSIANIS.

Nil prodest, quod non laedere possit idem.

OVIDIUS.



PROOEMIUM.

Chirurgia hodierna, quo ambitu & studio nostris temporibus colitur, tot tantaque acquisivit incrementa, tot emendationibus reformata, variisque novis inventis locupletata est, ut quilibet artium cultor & scientiarum amicus magnum fructum in artis honorem & ægrotorum salutem exinde largissime redundantem, non possit non magna cum voluptate perspicere.

Inprimis vero in ea ad hunc gradum perficienda Chirurgi anglici & gallici præ ceteris suas contribuerunt operas, quibus multitudo occasionum & opportunitas nosocomiorum magnum commodum & utilissimum dedit subsidium ad colligendas observationes, inventiones suas tentandas, novaque sua principia adstruenda & comprobanda. Et quanta sunt, quæso, quæ de conjunctis universæ chirurgorum Academiæ, quæ Parisiis floret, viribus expectare licet? Non minores vero progressus chirurgia fecit in Dania & in nostra Germania, ubi & Viri proferri possunt, prioribus si non su-

periores, tamen ipsis nequaquam inferiores. Quam bene de chirurgia hodierna in Germania & Dania Viri in hac arte exercitatissimi meruerunt! ex quibus haud paucis nunc vel solos RICHTEROS, SCHMVKEROS, THEDENOS, BILGVEROS, PLENCKIOS, STEINIOS, necnon SAXTORFIOS, CALLISENOS nominare liceat, quorum magna in chirurgia merita, variis scriptis testata, adhuc posteritas cum voluptate agnoscat.

Inprimis vero ea chirurgiæ pars, quæ parturientibus auxilium promittit, magna cepit incrementa, & novissimis temporibus ingeniosissima & utilissima inventione locupletata est, operatione nimirum, qua claustra muliebria subinde pro consueto transitu fœtus nimis angusta referantur & ampliantur.

Verum cum hæc operatio hætenus ancipite fortunam vexaretur, & nunc propugnatores, nunc oppugnatores nancisceretur, equidem attentus ad diversa contra eam prolata argumenta, incidi in eorundem prolixius examen, quod cum me de utilitate huius operationis convinceret, licebit mihi speciminis academici loco pro mea convictione ea præcipua momenta exhibere & pro viribus diluere, quæ contra oppositam sententiam regeri posse videntur, atque simul casuum determinationem subungere, in quibus omnino utilis & necessaria est Synchronoseos ossium pubis sectio.

§. I.

Historia huius inventionis iam inter plurimos constat, eam tamen ordinis nexusve gratia brevibus tangam: Observationibus & experientia Cel. Virorum iam dudum comprobatum est, cartilagine ossa pelvis inter se neſtentes iam sub graviditate intumescere & mollescere, sub partu elongari, quin in partu difficili interdum a se invicem seiungi & secedere. Chirurgus Parisiensis SIGAULT de veritate harum observationu convictus hanc exinde deduxit conclusionem: Sectionem Synchondroseos oss. pubis esse remedium tutum et aptissimum ad vitam foetus servandam in casu, quo physice impossibile sit, ut infans per vias naturales vivus nascatur, adeoque eandem haecenus usitatis methodis, Sectioni scilicet caesareae vel & perforationi capitis foetus, longe praefendam esse & substituendam. Haecce itaque sua cogitata tanquam novum problema Academiae Chirurg. Paris. anno 1768. proposuit, a qua vero tunc temporis tanquam ineptum, & inutile consilium reiiciebatur. SIGAULT vero nihilominus suas de operatione cogitationes nondum abiecit, pervenitque per Cel. LOUIS Secretarii Academ. chirurg. litteras notitia Sigaultiani problematis ad Jll. Med. Prof. CAMPERUM, qui mox in Belgio experimentum in vivo porco eo cum eventu fecit, ut pro hac operatione, cum dissecta Symphysis iterum bene coalesceret, militare videretur. a) Tandem anno 1777. quam dudum adoptaverat, se

A 3

Si.

a) In *Epistola ad David. van Geſſcher de Emolumentis Section. Synchondros. oss. pubis in partu difficili.* Annexa est haec *Epistola Dissert. CAMPERI de Emolumentis & optima methodo insitionis variolarum. Groening. 1774.*

Sigaulto obtulit opportuna occasio, in foemina parturiente *Souchor*, operationem mente olim conceptam instituendi, quam & arripuit, & eo successu secundatam vidit, ut foetum ex angustia male formatæ pelvis, in qua antea quatuor foetus perierant, salva matre vivum extraheret. b)

De huius operationis veritate & eventu, ut Facultati medicæ constaret, ipse *Sigaultus*, ut Commissarii delegarentur, petiit, qui testes oculati toti post factam operationem curationi interfuerunt, & tanta cum laude de rebus gestis ad facultatem retulerunt, c) ut ista in honorem *Sigaulti* & memoriam inventionis monetam excudendam, centumque eius exempla inventori, nec non quinquaginta eiusdem commilitoni sub operatione assistenti *LE ROI* donanda decerneret & curaret. d)

§. II.

Neque tamen hæc inventio ab omnibus eandem gratiam iniiit, quin potius subinde acerbis & durioribus reprehensionibus vexata & impugnata est, inter quas eæ imminere & primo loco ponendæ esse

- b) *Conf. Sammlung der neuesten und auserlessten Abhandlungen für Wundärzte I. Theil pag. 11. Aufsatz des Herrn Sigault. Doct. der med. Facult. zu Paris. vorgelesen in den Versammlungen von 3ten und 6ten Decembr. 1777.*
- c) *Sammlung der neuft. Abhandl. für Wundärzte I. Th. pag. 26. Bericht der Herrn GRANDCLAS und DESCHEMET die Zerschneidung der Schaambeine betreffend &c.*
- d) *Vid. Sammlung der neuft. Abhandl. für Wundärzte I. Th. pag. 1. Nachricht von dem, was bei der medicinischen Facultät zu Paris &c. vorgefallen,*

esse videntur, quas PIET, e) (Academ. Chirurg. Parisinæ membrum) mox 1778. protulit, qui præter argumenta generaliter contra ipsam operationem eiusque necessitatem vel utilitatem prolata, varia contra relationem Sgaultianam de constitutione pelvis foeminae Souchot, & de magnitudine foetuum & sub hoc & sub prioribus partibus editorum animose, an invidiose dicam? monet. Eodem anno mitius sed fere iisdem argumentis se opposuerunt BAMPs, f) OSWALD, g) SCHEYRING, h) qui posterior differta sed mordaci lingua Souchotianam operationem refert, atque varias circa eandem oblatas circumstantias false perstringit, atque Cel. D. BRINCKMANN i), qui infausto eventu operationis Duffeldorfii a GUERARDO peractæ ad eam examinandam adducebatur. Priori anno apparuerunt annotationes a cl. HUN-

TERO,

e) *Reflexion sur la Section de Symphyse du pubis Paris 1778.* in linguam germanicam versa existat in *Sammlung der neuesten Abhandl. &c. I. Th. p. 41.*

Tamen non prætermittendæ sunt quædam litteræ jam antea contra Sectionem insertæ *Journal de Paris Nro 279. 284. 295. & 302.* quarum primæ abs quodam incognito sub Signatura P. R. reliquæ vero a Dn. L'HERETIER & ETIENNE scriptæ sunt. Refutatæ vero ab ipso SIGAULTO in eodem *Journal Nro 305.*

f) *In Tractatu de anteponenda Sectione caesarea Section. Synchondr. ofs. pubis. Genev. & Paris. 1778.* Germanice recusa existat in *Samml. der neuft. Abhandl. &c. I. Th. p. 94.*

g) *Sendschreiben an Herrn Aeplin über die Operation der Symphyse. Schaffhausen 1778.*

h) *Dissert. inaug. de Sectione Synchondrosos ofs. pub. Friburgi Brisg. 1778.*

i) *Bemerkungen über die neuerlich vorgeschlagene, und an einer Kreiffenden verrichteten Operation der Durchschneiaung der Symphyse der Schaambeine Duffeldorf 1778.*

TERO, k) qui experimenta recenset, quibus comprobare annitur, sub diductione oss. pubis promoveri dilacerationem ligamentorum os sacrum cum innominatis nequentium. Dein nuperrime Argentorati BENTELY, l) dissertationem defendit, in qua magnum experimentorum numerum recenset, quibus contra sectionem agit, quippe qua spatium nequaquam tam amplum, quam desideretur, obtineri contendit. Denique amicissimus mihi commilito WAGENMANN, m) difficultates, quibus ipsi Sect. Synchondr. in summo incuneationis capitis gradu instituenda premi videbatur, in specimine academico recensuit, & contra hanc operationem, ex ipsius mente rejiciendam potius quam imitandam, urfit.

§. III.

Mittam, si qui sunt, alios novæ in parturientibus instituendæ operationi minus faventes Scriptores, tum, quod eiusmodi minoris voluminis libelli tardius mihi in notitiam venerint, vel saltem difficiliter oblineantur, tum, quod pro meo Scopo non tam historica relatio, quam ipsum argumentorum contra ipsam prolatorum examen inserviat. Accedam itaque ad huiusmodi argu-
 menta

k) *Bemerkungen über die bei schweren Geburten empfohlene Zertheilung der Schaambeine. Leipzig 1779. anglice quidem hunc librum jam anno 1778. prodiisse, non ignoro.*

l) *Dissert. de Sectione Synchondroseos oss. pubis Argentorat. 1779.*

m) *Dissert. sub præsidio Excell. & Exper. D. & Prof. JÆGER sub finem anni 1779. defensa, sistens disquisitionem: an in summo incuneationis capitis gradu præferenda sit methodus nova Sigaultiana hætenus usitatae perforationi capitis vel & Sectioni caesareae. Tub.*

menta proprius inspicienda, inter quæ maximi momenti id esse existimo, quod iam ante operationem in vivis institutam ab Academia Chir. Paris. opponebatur, & adhucdum a plurimis adversariis urgetur: *spatium aiunt, quod per diductionem oss. pub. expectatur, insufficiens est ad tantam angustiam, quanta heic supponitur, superundam, quin ossa pubis etiam ad distantiam $2\frac{1}{2}$ poll. diducta tamen parum vel fere nihil distantiam ab osse sacro augment, ut diameter recta fere eadem maneat, aut ad summum ad duas aut tres lineas crescat, a cuius incremento tamen operationis utilitas potissimum pendet, cum frequentissima pelvis difformitas reperiatur in abbreviatione coniugatae, quando nimirum ultima lumborum vertebra cum superiori ossis sacri parte nimis antrorsum prominet, vel \mathcal{S} arcus oss. pubis nimis introrsum vergit.*

§. IV.

Assertum hocce, quod diameter minor parum aut nihil amplietur, experimentis adstruere volunt, quæ & PIET N) habet, & quorum magnum numerum BENTELY O) partim a se ipso, partim Parisiis in nosocomio dicto *Hotel de Dieu* institutorum recenset, ast cum ea perlegerem, dolui sane, istos Autores recensionem & descriptionem modi & rationis, qua mensuras capiebant, omisisse. Apparebit enim cuivis, nisi antea de methodo mensurandi constet, sive puncta, ad quæ lineæ mensurantes ducantur, determinata sint, facile in spatio determinando aliquid ambigui sive logomachiam subrepere posse.

§. V.

n) Loc. cit. pag. 48. 50.

o) Differt. alleg. §. 36. 37.

§. V.

In integra pelvi, quæ ellipfin refert, diametrum minorem s. rectam dimetitur per lineam perpendicularem a media prominentia ofs. sacri ad mediam Synchronosin ofs. pubis ductam. Sin vero Synchronosis disseccetur, & ossa pubis diducantur, duo apparent extrema, unum a dextro, alterum a sinistro osse pubis terminatum, quæ dum ad latera moventur, etiam antrorsum cedunt. Jam diversa methodo distantiam ofs. pubis a sacro determinare possumus: vel linea oblique utrinque a dicto extremo ofs. pubis in mediam prominentiam ofs. sacri ducitur; vel inter distantiam horum extremorum linea recta transversalis s. chorda concipitur, a cuius media parte perpendicularis s. diameter recta demittitur. Quod jam ad hanc posteriorem mensurandi methodum attinet, concedi omnino oportet, diametrum minorem secundum adversariorum sententiam multo minus augeri; quam ob causam conjecturam capimus, hac ratione instituta esse experimenta a PIET & BENTELY descripta, saltim BAMPIVS p) hac ratione mensuratio-

- p) *Traclat. de anteponeuda Sect. caesar. &c.* cuius versio mihi ad manus est germanica in *Samml. der neuest. Abhandl. &c.* ubi Th. I. pag. 133. ita legitur: *Man lasse sich ja nicht durch die Ausdehnung, die wir bei eben bemelten Versuchen gesehen haben, hintergeben. Dann die größte Entfernung des Schaambeines vom Heiligbein haengt blos von den Linien, die man von der Mitte des Vorbergs des Heiligbeins an das von beiden Seiten auseinandergebogene Schaambein zieht, ab. Dann ziehet man eine Linie von dem einen Schaambein bis zu dem andern, so trifft der mittelfte Punckt dieser Linie genau auf den mittelsten Punkt des Heiligbeins, und der kleine Durchmesser des Beckens wird auch nach der Durchschneidung nichts gewinnen. Wozu ist dann die Durchschneidung der Schaambeine nützlich?*

tionem instituendam, vel certe spatium per dissectionem obtentum exinde dijudicandum esse voluit. Methodum vero hanc minus adæquatam esse, exinde demonstratur, quod post diductionem oss. pubis spatium satis ample hians acquirimus, quod non nisi partes molles, collum nimirum vesicæ urinariæ & partem vaginæ uterinæ interpositas recipit, in transitu capitis fœtus nullum obstaculum ponentes, sed lubentissime antrorsum cedentes; quin cum pars capitis ceu segmentum globi intra hoc ipsum spatium recipi possit, apparet, pro altitudine & magnitudine huius segmenti recepti caput in transitu minus impediri, spatiumque maius versus os sacrum lucrari, atque cum insuper præter extremum oss. pubis utrinque diducti nil capiti resistantiam obiciat, huius ipsius autem extremi distantia a media prominentia ossis sacri per obliquam lineam mensuretur, constat pariter, heic augmentum spatii impetrari, quia hæc linea obliqua necessario utrinque major est & esse debet, q) quam diameter recta in pelvi integra. Id quod dum mecum perpendo, minus approbare possum posteriorem mensurandi methodum, quatenus distantiam mere ex perpendiculari ab ista chorda demissa BAMPIVS dijudicare voluit; finxit enim istam chordam quasi lineam resistantem, a qua si diameter ducatur, omnino hæc eadem perparum increfcit, sed exinde non sequitur, quod ideo dissectio nullius utilitatis

B 2

fit;

q) Experimenta, quæ per lineam obliquam Dn. LAUVERJAT Parisiis in præsentia multorum Medicorum & chirurgorum in foemina sub partu mortua instituit, quæ & BAMPIVS describit, ostendunt, distantiam extremorum oss. pubis ab eminentia oss. sacri ad 6-7. lineas auctam esse post dissectionem & diductionem oss. pubis ad distantiam $2 \frac{1}{4}$ poll. vid. BAMPIVS loc. cit. pag. 131-133.

fit; cogitandum enim ipsi fuisset, quod chorda ista tantum imaginaria nec resistens sit, atque sic pars capitis infantilis intra spatium hians recipi, ideoque hoc auxilio caput, quod antea nimis parva pelvis integræ diameter recta exclusisset, nunc transire possit.

§. VI.

De qua nunc veritate ut memet ipsum convincerem, hæcce institui experimenta:

Intra cavitatem pelvis bene formatæ posui sustentaculum, cuius medio crus circini insistebat, tunc circulum, cuius radius 2. pollices habebat, sine impedimento ossium describere potui. Ossibus pubis ad distantiam $2 \frac{1}{2}$ poll. diductis cavitas adeo adaucta est, ut jam circinum ulterius aperire potuerim, & facile pro circulo cum radio $2 \frac{1}{2}$ poll. describendo spatium adesset. Aliud experimentum ita institui:

Globum ligneum, cuius diameter 4. poll. habebat, formandum curavi, ut capitis infantilis vices suppleret; huncce per cavitatem naturalem meæ pelvis bene transmittere potui. Ossibus pubis iterum ad dictam distantiam diductis, eundem globum ita in cavitatem immisi, ut bina extrema oss. pubis attingeret, quo facto in posteriori cavitatis parte inter globum & eminentiam oss. sacri inveni vacuum integri pollicis spatium, quod non solum parti globi intra distantiam oss. pubis recepti, sed & ossibus pubis antrorsum magis cedentibus & sic longinquius ab osse sacro distantibus tribui debet. Per hancce sic auctam cavita-

tem pelvis alium globum lubentissime traducere potui, cuius diameter 5. habebat pollices.

§. VIII.

Jam nimis diu in examine huius argumenti moratus ad aliud huic vix gravitate cedens me accingi oportet, quod non modo a priori, sed & studio institutis experimentis magnam acquisivit speciem, quum adversarii exinde Sectionis Synch. ofs. pub. periculum ratione matris cum ea conjunctum comprobare annisi sunt.

Pelvis ossa ligamenti juncta esse, neminem latere potest, haec ligamenta autem sub diductione ofs. pub. dirumpi, contendunt adversarii, quod necessarium sit, ut ea ratione, qua pubis ossa a se invicem diducuntur, ossa ilium etiam in loco Synchondrosios sacro - iliacae ab osse sacro separentur, adeoque ipsa membrana ligamentosa hanc Synchondrosin obducens quam maxime distendatur tandemque rumpatur. Ad hocce assertum magis magisque confirmandum, instituta sunt experimenta in cadaveribus a cl. HUNTERO, r) qui sub diductione ofs. pub. ad $2\frac{1}{2}$ poll. perpetuum stridorem audivit & diruptionem ligamentorum observavit.

Verum cum nemo facile inficias ire possit, fibras ligamentosas in cadavere minus quam in vivo subiecto extensiles esse, id praeterea contra HUNTERI experimenta notandum existimo, quod non in gravidarum & puerperarum cadaveribus fecerit, cum sub graviditatis statu fibrae ligamentosae abundante succo irrorentur, & sic multo ampliorem & faciliorem admittant extensionem; hinc

r) Loc. cit. p. 8.

BENTELY s) vel a sola hac emollitione & relaxatione ligamentorum naturali secessum ofs. pelvis spontaneum, sæpe & diversimode immo ad integri pollicis latitudinem observatam, t) deduxit.

§. V.

Hancce sine disruptione partium ligamentosarum extensionem probant & ipsi casus, in quibus sectio in vivis suscipiebatur; factum neque SIGAULT, neque COMMISSARIU) ad quasvis circumstantias occurrentes annotandas delegati, nec SIEBOLD v) nec GVERARD w) talia observarunt vel descripserunt Symptomata, quæ de disruptione ligamentorum testarentur. Ponamus vero, hæc ligamenta etiam dirumpi, poterunt sane iterum consolidari & coalescere, sicuti in luxationibus cum disruptione ligamentorum sæpius observamus; neque desunt, qui dudum ante hanc operationem excogitatam hiatum in ipsa hac Synchondrosi sacro iliaca animadverterunt, atque suos tamen ægros sine damno permanente sanitati restituerunt. x) Ligamentosas fibras vero anterieus dissectas iterum concreescere, probant studio in canibus a

RIP-

s) Dissert. citat. §. XXXII. pag. 30.

t) SMELLIE *Observation sur les Accouchements* T. II. pag. 6.

u) GRANDCLAS und DESCHEMET *Bericht die Zerschneidung der Schaambeine betreffend* &c, loc. cit.

v) RICHTER *chirurg. Bibliothec. B. IV. St. III. pag. 582.*

w) *Umständliche Nachricht des Zufalls wegen der Durchschneidung der Schaambeine, Duffeldorf.*

x) BASSIVS *Observationes anatomico chirurgico-medice Hal. 1731. Dec. I. Obs. III.*

RIPPING z) instituta experimenta, quippe qui canibus suis ligamenta pubis dissecta iterum uniri deprehendit. Secure itaque concludi poterit, hæc ligamenta vel plane non disrumpi, vel saltem eorum disruptionem non adeo extimescendam esse.

§. IX.

Tertium, quod a PIET a) quam maxime urgetur argumentum, respicit pericula varia subsequutura; *inflammationem scilicet suppurationem, Gangraenam, cariem, effusionem humorum in abdomen, febrim lentam* & centum alia horrenda mala, quæ omnia ob magnam colli vesicæ urinariæ & aliarum partium sectionem subeuntium extensionem variamque læsionem haud procul abesse interitumque minari supponuntur. Ut vero rite ad hoc argumentum respondeatur, partes, quæ inciduntur & læduntur, considerandæ sunt: Ne unica quidem pars, quæ sine vitæ periculo lædi non potest, in hac Sectione disseccatur: Integumenta communia, tela præcipue cellulosa, ligamenta, cartilagine, vasorum & nervorum minores ramuli sunt partes, quæ toties in qualicunque operatione læduntur sine omni metuenda mala sequela. Nec est, cur hæmorrhagia timorem incutiat, quippe quæ sponte sistitur, vel levi appensione digiti cohibetur, vel saltem, dum operatori ad partem læsam accessus patet, efficacium auxilium administrationem concedit. Quod vero violentam distensionem colli vesicæ urinariæ & urethræ attinet, novimus, collum vesicæ & urethram ubique larga tela cellulosa esse

z) *Dissert. sistens quasdam de pelvi animadversiones Lugd. Batav. 1776. §. 36. pag. 38.*

a) *Eiusdem Reflexion sur la Section &c. in Samml. für Wundärzte 1 Tb. p. 51. 52.*

esse circumdatam, quæ insigniori extensioni ex notissimis observationibus perferendae par est. Si his nunc adjungimus, tempore partus contentas pelvis partes & præcise etiam cellulosam telam a majori affluente humorum copia præternaturaliter emollitas & relaxatas esse, adeoque majorem extensionem admittere, metus illorum centum malorum evanescere oportet. Quibus vero hoc non sufficit, sed subsequentem dilacerationem a violento & subito secessu oss. pub. deducunt, his forsitan novum, gravis viri, Jll. RICHTERI b) consilium satisfacit, quo hanc operationem emendare tentat, suadens, ut eadem hæc subita & violenta secessio, quæ post dissectionem cartilaginis sponte & celeriter accidit, præcaveatur, & in ulteriori diductione extremorum iterum sensim & lente procedatur, atque ita periculosa dilaceratio magis magisque impediatur. Hæc ipsa cautela removebit quoque formidinem violentioris inflammationis, quam, sive locum respiciam, sive methodum operationis, non magis extimescendam existimem, quam aliam consuetam inflammationem in vulnere vel alia simili operatione chirurgica, licet ceterum non negem, quod in quibusdam individuis periculosa & ominiosa esse possit, ast talis ex idiosyncrasia & circumstantiis particularissimis dijudicanda, non operationi, qua tali tribuenda est.

§. X.

Præter has iam recensitas sequelas, quæ operationi exprobrantur, maxime quoque contra eandem involuntarium urinae profusum urgetur, quod in foemina *Souchot*, *Herbipolitana*, & foemina

b) *Chirurg. Biblioth. IV. B. IV. St. p. 609. & V. B. I. St. pag. 37.*

mina *Langens* observatum est. Hoc sane grave incommodum suas natales trahere potest vel a vulnere vesicæ eiusve sphincteri inflicto, vel ab eiusdem nimia distractione & relaxatione. Incisio vesicæ facile committi potest, si cartilaginis incisio cultello cuspidè acuta instructo suscipitur, cuius cuspis facillime in vesicam illidere eamque lædere potest, sicuti ipse *Sigaultus* sese in eo, quod non cultellum apice renso instructum c) adhibuerit, errasse fatetur.

Nolo urgere, quod ipsa vulnera vesicæ iussita sanari & coalescere possint, sicuti in operatione lithotomiæ videre est, sed existimo, omnino hanc vesicæ incisionem præcavendam esse, id quod fiet, si cartilago ope cultelli cuspidè obtusa præditi vel capitati inciditur, & præprimis, si prima incisione aliquantum supra ossa pubis facta, digitus vel specillum intra hunc hiatus immittatur, atque sic sub sectione ulterius continuanda incisio cultelli in collum sphincteremque vesicæ præpediatur. Sin vero hocce urinæ profluvium a distractione colli vesicæ & exinde suborta relaxatione & debilitate sphincteris originem ducit, tunc novimus, hoc vitium etiam sub aliis partibus difficilioribus occurrere, & sæpius iterum corrigi, robore & tono partium post aliquod tempus pristino restituto; cavebit tamen heic prudens operator, si ex Consilio JII. RICHTERI non nisi cautam & lentam supra §. IX. laudatam oss. pubis diductionem admittit.

§. XI.

c) SIGAULTS Aufsatz in der Versammlung, vorgelesen in Samml. der neust. Abhandl. für Wundärzte I. Tb. p. 21. 22.

§. XI.

Inter malas sectionis sequelas porro refertur *difficilis Conglutinatio dissectarum cartilaginum oss. pubis*, quod argumentum imprimis ab academia chir. Paris. Sigaultio iam tunc temporis opponeretur, quo prima vice sectionem proponebat, & quod BENTLEY d) adhuc suffulcire videtur eam ob causam, quod *fasciæ applicatio ad jungenda pubis ossa dolorifica sit ac ægre feratur*. Me non latet, in iis casibus, ubi sectio suscipiebatur, strictam applicationem ægre toleratam fuisse, & ex experimentis in sue a cl. CAMPERO e) & a RIPPING f) in canibus captis id comprobatur: Ast mihi stricta applicatio plane non necessaria esse, sed iam laxior & molliter applicata fascia omnino sufficere & scopo satisfacere videtur. Quin præterea eadem observationes simul ostendunt, quod conglutinatio bene successerit etiam ablata fascia, nec perspicio, cur artificialis ope fasciarum coadunatio extremorum cartilagineorum adeo necessaria sit, cum novimus, quanta ipsa natura præstet in reuniendis partibus solutis, & quam larga interdum sit in procreando callo, qui ex amborum extremorum minimis vasis in forma gelatinæ propullulat, g) & tam diu prolongatur, donec in medio confluat, concreascit & solidescat. Hoc modo monitum esse velim, ut præcaveatur, ne membrana
quæ-

d) Differt. cit. pag. 60. 61.

e) Conf. Epistol. eiusdem iam citat. pag. 143. :

f) Differt. alleg. pag. 31.

g) Conf. Collect. Societ. Med. Hassniensis Vol. II. CALLISEN de generatione Calli.

quædam vel aliud peregrinum corpus in spatium vacuum intret,
& contactum profluentis calli impediat.

§. XII.

Ulterius forsitan Sectioni Synchrondr. ofs. pub. opponitur *eventus subinde matri & fœtui funestus*, qualis vi observationum nec negari potest, nec celari debet. Habemus fatalem huiusmodi exitum in operatione, quæ Dusseldorfii a GUERARDO h) operatore instituta, & ab eodem æque ac a cl. BRINCKMANN i) descripta est, qui eventus forsitan in futurum ab eadem denuo suscipienda deterrere posset. Verum ne nimis præceps ex hac observatione feratur iudicium, præcipua circa hunc casum obvia momenta propius consideranda sunt, id quod eo facilius fiet, si brevibus res gestas retulero: Fœmina scil. Dusseldorfina nono graviditatis mense partus doloribus invaditur, per duos dies sine successu durantibus. Cel. GUERHARDUS in auxilium vocatus reperiebat explorationis ope cavitatis pelvis superiorem aperturam adeo complanatam, ut conjugatam duobus pollicibus haud majorem æstimaret. k) Convictus itaque ex pelvis angustia de impossibilitate, fœtum per vias naturales extrahendi, Sectionem cæsaream vel Synchrondroseos proposuit. Frustra per quinque horas fœtus versione tentata, l) Sectio Synchrondr. administrabatur. Didu-

C 2

ctis

h) *Umständliche Nachricht des Zufalls wegen der Durchschneidung der Schaambeine Dusseldorf. 1779.*

i) *Bemerkungen über die neuerlich vorgeschlagene und an einer kreisenden verrichteten Operation der Durchschneidung der Schaambeine &c.*

k) GUERARD loc. cit. pag. 14.

l) GUERARD loc. cit. pag. 18.

ctis ad sesqui pollicem pubis ossibus, protractoque in vaginam uno pede, alter erat quærendus, quod vero impetrari haud potuit, manus enim introductio in uteri cavum erat impossibilis. Ut vero introitus pateret in uteri cavum, solutio femoris ab ipso trunco tentata est, sub quo conatu pes inferior a femore secessit, tamen ita, ut femur in uteri cavum refundi potuerit, quo facto magna cum spe felicitis successus operator manum per aperturam superiorem nunc ad alterum pedem usque promovere potuit, at nihilominus uteri contractiones tanta urgebant vi, ut manum obstupescitam quasi retrahere m) coactus fuerit, hinc ad forcipem, eaque nil efficiente, sed capite fœtus nimis alte in pelvi hærente, ad cranii perforationem confugiebat, & licet forcipis ope quædam ossa a cranio abriperentur, caput tamen nihilominus [manebat immotum. n) Deficientibus autem parturientis viribus ad easdem restaurandas intra lectum ipsa reponebatur, sub qua quiete post quinque horas caput fœtus sponte descendit, ut chirurgus ipsi assistens fœtum, insequentibus sponte sua secundinis, facile extrahere iam iam posset. o) Puerpera sic ab onere quidem liberabatur, at vitam tamen subnascentibus variis ærumnis, maxime tussi cum excreatione materiæ lacteæ, variisque aliis de partium internarum gangræno. o statu testantibus p) post decimum diem finivit.

§. XIII.

Casum itaque huncce accuratius perlustrantibus apparebit, complicationem malorum in foemina hacce præsentium potius esse

ac-

m) GUERARD. loc. cit. pag. 22.

n) GUERARD loc. cit. pag. 24.

o) GUERARD. l. cit. pag. 25.

p) GUERARD. loc. cit. pag. 26 - 35.

accusandam, quam simplex modo vitium, solam nimirum angustiam pelvis, quæ exitum foetus impediverit. Scilicet sæpe numero legimus & audimus artis obstetriciæ magistros inter causas impediti transitus foetus per pelvim de præsentia spasmorum querelas movere, quibus uterus eiusque orificium corripitur & vehementer constringitur, & neminem dispositio & proclivitas parturientium ad spasmos latere potest. In hocce vero casu substrato eiusmodi spasmos subfuisse, partum impediens & mortem matris accelerans, partim eo probatur, quod manus in uterum introducta sub quolibet conatu pedem arripiendi a vehementissimis uteri contractionibus ita obtupefacta fuit, ut eiusdem retractio necessaria esset, partim eorum præsentia ex eo confirmatur, quod & parturiens ægra sub quiete caput foetus sponte descendere sensit, cum nimirum remissis spasmis orificium uteri relaxatum fuit, atque sic caput excerebratum sensim facileque superata resistencia ad exitum sese accommodare potuit, id quod antea omnibus tentatis viribus incassum erat. BRINCKMANNVS q) hinc bene annotavit, quod foetus certe & facile extrahi potuisset, si obstetricans relaxantia & antispasmodica medicamenta subministrasset, cui annotationi Ill. RICHTERVS r) addit, uterum plerumque sub versione foetus post liquoris amnii effluxionem tali spasmis corripitur, qui versionem difficilem & periculosam reddat. Quin ferre affirmare audeo, maximam partem malorum subsequutorum exinde repetendam esse, quod sub spasmis urgentibus per nimias contrectationes, diuque & moleste tentatam versionem, inflammatio provocata & aucta sit, quæ semper in subjecto spasmis obno-

C 3

xio

q) *Bemerkung über die neulich vorgeschlagene &c.*

r) *Chirurgische Biblioth. V. Band. 1 St. pag. 44.*

xio & debili magis extimescenda est, certiusque gangrænam minatur, quam & Sectio post mortem abunde cognoscendam exhibuit: Aperto scil. abdomine uterus offerebat ulcus sinistro in latere, ex quo materies purulenta effusa erat in pelvis cavum, intestina in vicinia uteri locata inveniebantur maculis fuscis obsessa, reliqua erant aëre distenta. s)

§. XIV.

Tentavi hæctenus ea remove, quibus Sectio Synchondr. directe impugnatur, si jam eandem cum methodis alias usitatis confero, has omnino tam insignibus difficultatibus premi animadverto, ut isti laus potius nova, quam vituperium accedere videatur. Nimirum ad foetum, cuius ad pelvis spatium nimis iniqua proportio est, extra hæc claustra expediendum instituitur aut Sectio cæsarea aut perforatio capitis foetus; hæc foetum certe necat, ista matri sæpius exitialis est, ut & exercitati viri eam admittere t) noluerint, quod & ipsum periculum cum ea conjunctum HÆISTERVM u) ad hanc ferendam sententiam movit: ut cum jactura etiam vitæ foetus matri tanquam arbori parcendum & foetum tanquam ramum per frustra potius extrahendum esse statueret. Huncce sectionis cæsareæ ancipitem & funestum eventum ostendunt & recen-

s) GVERARD loc. cit. p. 36 - 37.

t) GUILLEMAU *de arte obstetr. De Sectione cæsarea.* MAURICEAU *de arte obstetr. Libr. II. cap. 32.* ROLFINGIVS *observat. anat. Lib. I. cap. 13.* SOLINGIVS *operat. chirurg. cap. de Section. caesar.* PEV *practique des accouchement P. II. Chap. II.* DIONIS *Cours d'operations de Chirurgie. seconde Demonstration, de l'operation cæsarienne.*

u) *Institut. Chirurgiae P. II, cap, 113. pag. 725.*

recentiores observationes: Cel. HUNTERVS v) recenset historiam Sect. cæsareæ lethali eventu finitæ, licet sub faventissimis circumstantiis susceptæ. w) Cel. STEIN x) in amplissima sua praxi obstetricia bis modo eam instituit & bis infaultissimo cum successu. De tempore, quo Sect. Synchronos. inventa est, Sect. cæsarea Parisiis quater instituebatur, & ter peribat mater. y)

§. XV.

Non animus quidem est, plenarie sectionem cæsaream rejiciendi, cum & casus felicioris eventus existent, aut ipsi ubique Sectionem Synchronoseos substituendi, (quorsum fere amor suæ operationis inventorem SIGAULT & le ROI adigere videtur) cum convictus sim, dari casus, in quibus finis intentus foetum salvandi non nisi sectione cæsarea obtineatur, attamen hancce periculosiorē matrique toties infestam evitari posse, rariusque, introducta minus ancipite Synchronoseos Sectione, requiri, vicissim asserere non dubito, quæ & ideo commendanda est, quod & minus dolorifica est, *) atque foetui æque ac matri parcit,

cum

v) *Bemerkungen über die bei schweren Geburten empfohlene Zertheilung der Schaambeine pag. 24.*

w) RICHTERS *chirurgische Bibliot. V. Band. II. St. pag. 213. 214.* Hic ipse cel. RICHTERVS annotat: -- *Sich zum Kaiserschnitt entschliessen, heißt nicht viel weniger, als sich entschliessen, die Mutter umzubringen, um das Kind zu retten.*

x) *Praktische Abbandl. von der Kaisergeburt in zwei Wahrnehmungen Cassel 1775.*

y) SIGAULT *vom Nutzen der Durchschneidung der Schaambeine in der Samml. der Noust. Abbandl. für Wundärzte III. Tb. pag. 146.*

*) Hunc minorem dolorem confirmat cel. SIEBOLDVS, qui ipse Sectionem instituit. in *Dissert. qua sistitur: Comparatio inter Sectio-*

cum contra perforatio cranii vitam foetus radicibus tollat, atque eo ipso, nisi plane illicita, certe tamen ab humanitate abhorrens & crudelis sit. Neque est, cur quis perforationem excuset, quasi in foetu jam intra uterum mortuo demum instituat, etenim signa, quibus intra uterum adhucdum a vivo mortuum distinguas longe plurima adeo ambigua sunt, ut & cauti fallantur, & ipse LA MOTTE z) vivo foetui cranium perfoderit, eumque excerebratum reliquias vitae monstrantem extraxerit, quin si nimis diu perforationem differas, donec certiora mortis signa habeantur, tunc certe vereor, ne hæc cunctatio te accuset, quasi exspectando necaveris eum, quem alia methodo salvare potuisses, & salvandum cunctando suoque fato relinquendo morti non eripueris.

§. XVI.

Cum inde ab eo tempore, ex quo Sectio Synchronoseos institui cœpit, operatio jam sæpius repetita sit, exspectabit quis forsitan ab ipso eventu decisionem. Exhibuit nuper Cel. STEIN operationes tam in Gallia quam in Germania institutas una in tabula collectas a) & conspiciendas, ex qua Synopsi apparet, ex octo operationibus, quæ in computum veniunt, quatuor sine iactura matris peractas fuisse, ut itaque dimidia pars matrum in in-

te-
nem caesaream & dissectionem cartilaginis & ligamentorum oss. pubis &c. Würzb. 1779.

z) Observatio 352. Recentius D. FREIER in *Dissert. de partu difficili propter funiculum umbilicalem foetus collum stringentem* Hal. 1765. similem casum describit, qui celebri operatori, (quem aliunde HENCKELIVM esse scio) accidit, ubi, capite foetus per biduum incuneato perfosso & excerebrato, foetus extra pudenda ductus turpi spectaculo pectus movere ejulatumque edere cœpit.

a) *Nedicinisches Wochenblatt IX. St. Franckfurt vom 26. Febr. 1780.*

regum restituta sit, quin aliam foeminam adhuc, quæ in Hispania b) operationem subiit, pariter salvatam addere possum, ut inde ex novem tantum quatuor perierint, atque proportio felicitis successus ad infaustos eventus habeatur ut 5. ad 4. quæ certe Sectioni Synchronos. favet, cum ratione matrum felicior eventus a Sectione cæsarea nequaquam expectandus sit, maxime si cogites, in mortuas duas, foeminam sc. Dusseldorfensem & foeminam Vespers c) longe alias, quam a Sectione sola repetendas, causas mortis incidisse, & operationem non tam in se, quam ob tam diversas conjunctas circumstantias, quæ semper & sine operatione periculum minantur, ancipitis fuisse fortunæ. Quodsi autem de foetibus quis quærat, concedi omnino oportet, minus faustum fuisse successum, quum ex cel. STEINII Tabula elucescat, unicum modo vivum esse extractum. Ast notandum hic venit, quod eosdem tres foetus, quos cel. STEIN tanquam mortuos per operationem extractos, alia relatio gallica & vivos d) & partim recte valentes declaret; atque ulterius scire juvabit, quod non-

b) De hac operatione mentio fit in *Tableau raisonné de l'histoire littéraire du dix-huitième siècle ann. 1779. T. VI. P. I. Novembre pag. 165.* Operator DELHUYAR post factam sectionem foetum jam jam mortuum extractit, & matrem in integrum restituit.

c) Vid. *Analyse de trois Procès-verbaux fait à l'occasion de l'opération de la Symphyse sur la femme Vespers, avec de réflexions &c.* Germanice translata exstat in *Samml. der neuft. Abhandl. für Wundärzte. III. Th. pag. 147.* ubi inter alia refertur: *Als man die Frau Vespers maass, fand man, dass sie nur 30. Zoll gros war, das Kind aber war 20. Zoll lang; und der Kopf hatte viele Fettigkeit.*

d) In allegato opere *Tableau raisonné de l'histoire littéraire &c. T. VI. P. I.* refertur de duabus operationibus a LE ROI & SIGAVLT d. 18. Jul. altera

nonnulli jam ante operationem mortui fuerint, fortasse vel ob ferius, vel in tanta angustia pelvis institutam sectionem, in qua non amplius locum habet, saltem ex *Sieboldii* casu constat, quod foetus jam jam intra uterum ante institutam operationem mortuus fuerit, e) ut certe minus felix hucusque sectionis ratione foetuum eventus non inutilitati operationis tribuendus, sed potius in eo quærendus sit, quod ipsa forte in tali casu instituta fuerit, in quo egregiam eius utilitatem frustra quæsiveris, hinc ab ipsa operatione tunc omnino majorem fortunam expectare potes, si limites determinantur, intra quos ipsa locum habet.

§. XVII.

Quæ determinatio, quatenus possibilis sit, ut supra promisi, jam dispiciam. Iusta & naturalis diametrorum dimensio cavitatis pelvis bene formatæ secundum plurimos observatores ita se habet: ut aperturæ pelvis superioris diameter minor s. conjugata 4. poll. vel $4\frac{1}{2}$ poll. æquet; diameter vero major transversalis dicta 5. -- $5\frac{1}{2}$ poll. raro vel nunquam superet. Quælibet vero diameter aperturæ inferioris 4. -- $4\frac{1}{2}$ poll. longa est. f)

Consi-

altera d. 24. Jul. 1779. peractis, quæ & matres & foetus, (quos cl. STEIN pro mortuis venditat) sanitate gaudentes sistant: *Le deux meres ont marché avec Juré & sans douleurs, & elles ont déclaré se bien porter; elles avoient avec elles leurs enfans, jouissant également d'une bonne Santé.*

De tertia vero in foemina Vespers suscepta operatione relatum lego, quod totus quidem non diu superites, attamen vivus protractus fuerit: *in Samml. der neust. Abhandl. für Wundärzte III. Tb. pag. 148. Das Kind lebte länger als eine halbe Stunde, und bekam die Noth-Tauffe.*

e) RICHTERS *chirurg. Biblioth. IV. B. 1V. St. pag. 580.*

f) ROEDERER *Element. art. obstetr. §. 8. & 10.* FRIED *Anfangsgründe der Geburtsbüffe. §. 9.* BENTELY *Dissert. alleg. §. XI. pag. 15.*

Considerari porro pro hac eadem determinatione obtinenda debent dimensiones capitis foetus naturales, quippe quarum justa relatio & proportio ad capacitatem pelvis in partu naturali edendo maxime necessaria est. Capitis dimensiones iterum per duas determinantur diametros, alteram majorem dictam, quæ distantiam inter frontem & occiput mensurat, ad minimum 4. poll. æqualem, alteram minorem, qua distantia ab una aure ad alteram describitur ad 3. -- 3 $\frac{1}{2}$ poll. æstimandam. g)

§. XVIII.

Quælibet nunc aberratio ab hac descripta naturali proportionem ratione pelvis & capitis foetus creabit magis aut minus difficiles partus pro variatione gradus aberrationis. Præternaturalis enim angustia pelvis varios admittit gradus: vel enim tanta est, ut introitum capitis foetus plane non admittat, vel talis est, ut capitis introitum quidem admittat & concedat, ast in progressu suo impediat, retineat & impingat, qui status tunc sub incuneationis nomine venit. Harum vero diversarum angustiarum pelvis differentia posita est in ipsis pelvis diametris; nimirum: vel diameter minor suam justam dimensionem non servat, vel transversalis peccat; vel cavitas pelvis in tota sua circumferentia vitiata & nimis angusta esse potest. Quamvis vero pelvis plurimum in superiori apertura justam suam dimensionem non servet, tamen non desunt casus, ubi etiam in inferiori cavitatis apertura diametri reperiuntur vitiatæ & nimis coarctatæ. Recta enim diameter e pubis arcu ad coccygis os ducta ob nimiam coccygis incurvationem anteriora

D 2

teriora

g) STEIN *Theoretische Anleitung zur Geburtsbülfte*. §. 405. p. 124. 125.

teriora versus nimis arcta, obstaculo esse potest in partu. h) Potest etiam transversalis diameter nimis esse angustata ob nimiam tuberositatem ossis ischii ad se invicem accessum i), quo hæc diameter quandoque tres solummodo pollices, vel ne has quidem æquat, k) atque ita quandoque partus vel difficillimus vel impossibilis redditur. l)

§. XIX.

Frequentissima vero pelvis difformitas reperitur teste experientia in præternaturali angustia diametri minoris aperturæ superioris, quæ vario gradu differre potest. Notatu dignum est ex observationibus & experientia Cel. STEINII m) deductum consuetarium, unde elucescit: angustiam diam. min. $3\frac{3}{4}$ poll. efficere primum incuneationis capitis gradum, quem salva foetus vita, natura sola sed lente & tarde, arte vero, maxime vero forcipis subsidio adjuta longe facilius vincere potest. Angustia vero eiusdem $3\frac{1}{4}$ poll. impingit caput secundo gradu, sub quo natura sola partum quidem sed funestum absolvit, & si forcipem pro foetu expediendo applices, eiusdem jam violentior compressio requiritur. Summus & tertius incuneationis capitis gradus vero toties adest, quoties diameter minor dimensionem $3\frac{1}{4}$ poll. non superat. In hoc summo gradu nec forcipis vis comprimens quicquam feliciter

pro-

h) SMELLIE *Traité des Accouchement* T. I. Libr. I. Chap. II. Sect. IV. pag. 81.

i) DELEVRYE *Traité des Accouchement* §. 19. 20. pag. 5. ROEDERER *Elem. art. obstetr.* §. 12. litt. e. BEAUDELOQVE *Anfangsgründe der Geburtshülffe* pag. 215

k) SMELLIE *Traité des Accouchement*. T. I pag. 82.

l) DELEVRYE Libr. citat. §. 25. pag. 6.

m) Conf. *Eiusdem Beschreibung eines Pelvimeters* Cassel 1775.

promovere potest, ut potius in hoc difficillimo casu methodus haec tenus usitata cranium perforari, excerebrari, caput in minus volumen comprimi & extrahi jubeat. n) Nec sectio caesarea hic locum habere potest, quis enim caput summe in pelvim impactum sine matris noxa retrahere audebit? Quin ob hoc ipsum periculum caput potius secundum esse ROEDERER o) voluit. Quod si autem dimensio huius diametri adhuc magis peccat, & majori adhuc gradu angustata est, tunc capiti est impedimento, quo minus in pelvis cavitatem descendat, quod itaque supra eandem subsistet. p) Sic mensura diametri minoris 3. poll. caput infantis maturi q) vix ac ne vix quidem admittit, hinc ante sectionem Synchronoseos inventam in hoc casu, ut vita foetus simul fervetur, r) sectio caesarea instituenda erat, ea vero rejecta & vita foetus neglecta uni-

D 3

cum

n) STEIN *practische Anleit. zur Geburtsbülfse*. §. 540. pag. 138.

o) *Element. artis obstetr. Cap. de partu caesareo*, §. 179.

p) STEIN *practische Anleit.* §. 557. & 558.

q) Qualem legitime confirmatum a consueta dimensione maxime capitis non aberrantem ubique suppono, nisi expresse monuero, id quod æque annotandum esse puto, ac hoc, quod in pelvi bene formata ob justo majus capitis volumen possit similiter incuneatio occurrere, est cum tam hic casus, quam is, si vitium conjunctum, capitis scilicet nimis magni & pelvis nimis angustæ adest, quoad effectus & auxilium præstandum non differat a cuneatione capitis consuetae magnitudinis intra pelvim nimis angustam, non requiret heic singularem discussionem & ex relativa amplitudine pariter dijudicari potest.

r) STEIN *in practische Anleit.* §. 891-893. pag. 247. ita habet: *In so fern man dabero auch auf das dem Kind zu erhaltende Leben, als auf den Hauptzweck zu seben hat, ist zu wissen, dass wann der kleine Durchmesser der obern Oeffnung des Beckens nach Angabe meines Pelmiveters nur 3. pariser Zoll befunden wird, der Kaiserschnitt allerdings so sicher angezeigt ist, als gewis ohne diese Operation ein vollständiges Kind auf alle andere Art sein Leben in der Geburt verlieren muss.*

cum refugium hæctenus in perforatione capitis ponebatur; quin cum major difficultas urgeat, quodsi nimirum diameter minor modo $2\frac{3}{4}$, $2\frac{1}{2}$, $2\frac{1}{4}$, vel 2. poll. æquat, requirebatur interdum ista difficillima æque ac crudelissima fœtus intra gremium matris in plures minores partes dissectio, quæ ipsa tamen tunc tandem impossibilis est, quando adhuc major obstat pelvis angustia.

§. XX.

Assumamus nunc, eam angustiam pelvis, qua diameter minor modo $2\frac{3}{4}$. poll. æquat, esse extremam, in qua Sectio ofs. pub. admitti possit, apparet tamen eam esse summæ utilitatis. Nam si omnia ea subsidia consideramus, quæ §. V. & VI. allegavimus, quibus integri pollicis spatium lucratur, quo transitus fœtus facilius redditur, facile est perspectu, cur sub tali præternaturali dimensione diametri minoris, qualem a longitudine $3\frac{1}{4}$. poll. usque ad longitudinem $2\frac{3}{4}$. poll. comprehendimus, ope Sectionis Synchronoseos fœtus vivus nascatur, qui alias sub his pelvis dimensionibus non nisi mortuus vel excerebratus & mutilatus per vias naturales prodire potest, Diversa vero operationis utilitas semper dependebit a majori aut minori diductione ofs. pubis possibili. Equidem majorem, quam ad $2\frac{1}{2}$. poll. dilationem impetrari vel admitti posse, dubito, licet le Roi s) sibi & aliis persuadere velit, quod dilatatio ossium pubis ad 3. poll. & possibilis sit & utilis ad angustiam conjugatæ 2. poll. superandam & fœtum salvandum; verum vereor, ne nimia & excedens extensio mala sua gravia proferat. Ipse hic autor sane
nimius

s) Eiusdem *Historisch und Practische Untersuchung über die Zerschneidung des Schaambeinknorpels &c. in Samml. der neust. Abhandl. für Wundärzte III. Tb. pag. 18.*

nimius in laudanda sua Sectione, etiam hanc fovet sententiam: majorem angustiam pelvis plane non existere; verumtamen revera existit, atque Cel. HUNTERUS t) & SIEBOLDU) proferunt pelves, quarum conjugatæ 2. poll. angustiores sunt, verum ne tunc quidem Sectio Synchrondr. omni utilitate caret, ipse HUNTERUS, inimicus potius quam amicus Sect. Synchronoseos, sed de lethali-
tate Section. cæsareæ pariter convictus istam in tam angustis pelvibus Sectioni cæsar. præfert suadetque, non quidem, quasi fœtus tunc eadem salvari posse existimet, sed ut mater salvetur, v) dum sub diametro conjugatæ pelvis duobus pollicibus vel æquali vel inferiore ne spatium quidem sufficiens pro fœtu intra gremium matris disseccando, nec pro hamis applicandis pateat, quod contra spatii lucrum a Sectione Synchronoseos expectat.

§. XXI.

Intra hos limites restricta est nostra Sectio ratione diametri minoris; respectu vero diametri majoris latiores sibi vindicat. Insignius scil. diameter transversalis sub diductione ofs. pub. crescit, ita ut me experimentum docuerit, quod post diductionem ofs. pub. ad distantiam 2. $\frac{1}{2}$. poll. ipse diameter transversalis, quæ antea 5. poll. habebat, iam longitudinem 6. poll. & 3. lin. acquirat, Præprimis vero inferioris aperturæ diameter transversalis nimis angustata ob nimiam ad se invicem accessum tuberositatum ofs. ischii partum quandoque impossibilem reddit, in quo casu hæ tuberositates a se invicem in ratione cedunt, qua pupis ossa a se invicem diducuntur. Verum
quan-

t) loc. cit. p. 17. 18.

u) *Dissert.* sub titulo: *Comparatio inter Sect. cæsar. & dissect. cartilag. ofs. pub. &c.* Würtzburg. 1779.


v) HYNLER loc. cit. pag. 21. 22.

quantum scio , nemo de hac , ratione diametri transversalis pelvis ampliacione, per Sectionem Synchondroseos obtinenda, dubitat, non itaque diutius eidem considerandæ immorabor , & concedendum esse putem , quod , cum in haud paucis difficilioribus casibus magnum beneficium præstet , novo *Sigaulti* invento sua utilitas non deneganda sit, & eo major expectanda , si cel. Inventor in opere singulari, quod communicare promisit w) in casus singulares , maxime ex variis vitiis compositis oriundos inquirat , & singulas & omnes conditiones enucleat, quando eius operatio indicatur, & administrata solamen & auxilium fert , sic certe beneficium inventionis augebit, gratas obstetricantium laudes merebitur, & amplissimam gratiam a feminis nimia male formatæ pelvis angustia laborantibus inibit, quibus ob ipsum hoc vitium recentior Scriptor x) dulce delictum conjugii & jucundum matris nomen interdicere voluit.

w) SIGAVLT vom Nutzen der Durchschneidung der Schaambeine in Samml. der neuß. Abhandl. für Wundärzte III. Th. pag. 140.

x) BOVNDER *Dissert. Nova methodus removendi a partu omnia, quae prævideri possunt*, Argentorat. 1775.

Errat: pag. 15. lin. 21. loc. *auxilium* lege *auxiliorum*.



DOCTISSIMO

DISSERTATIONIS HVJVS INAUGVRALIS

AVCTORI RESPONDENTI

S. P. D.

P R Æ S E S.

N*equè nuper Clar. WAGENMANNO neque nunc TIBI, Nobilissime Domine Doctorande in eligendo, quod speciminis academici loco exhibuistis, obstetricio themate, nostris hisce diebus multum vexato, suasor auctorque fui, quin de Vtriusque Vestrum proposito non prius, quam dum jam conscriptam dissertationem mihi obtulistis, aliquid rescivi, nolui tamen vel Istum novae operationi minus faventem, vel Te ejusdem patrocinium suscipientem impedire, quominus Vestram sententiam*

E

palam

palam profiteamini, (facile enim cuiusvis sentiendi libertatem concedo petoque vicissim,) quin placuit potius & Tuum & Tui Nobilissimi Commilitonis studium, quo Vos ad nova inventa attentos cognovi. Habebit hoc novum inventum adhuc per aliquod temporis spatium suos osores, habebit & contra suos encomiastas, neque adeo facilis etiam post plura, quam nunc prostant, experimenta decisio, si cogites, hanc sectionem tunc plerumque institui, quando varia complicatio statuum morbosorum occurrit, ut ideo ratione eventus nunc aliqua excusatio nunc ulterior criminatio exinde in eam redundet. Equidem haud suaderem experiendi gratia operationes multiplicare, vereorque revera, ne non nulli novitatis amore vel aliqua gloriolae cupidine praecipitantiis per sectionem synchondroseos, quem vel ipsa natura lente quidem, toties tamen feliciter procedens vel minus periculosa ars e suis claustris expediisset, foetum protrahant, ast si forsitan aliquando casus talis sectionis in femina insigniter mala pelvis conformatione laborante, antequam eadem aliorum morbosarum affectionem concursu afflicta & diuturnis ad partum doloribus conatibusque fatigata fuit, occurrit, inserviet certe e-

gregie ad iudicium ferendum de usu hujus operationis stabiliendo, rejiciendo, limitando, atque nunc forsitan aliquid huc conferret studiosa observationum collectio, quae nos de variis ligamentorum, membranarum ossiumque pelvis laesionibus, speciatim de horum ex varia causa facta separatione certiores faciunt, quale ipse aliquando exemplum in femina vidi, quae post sedecim matrimonii annos prima vice tantis sub mixibus peperit, ut os iliuni sinistrum ab osse sacro hiaret, strepitum sub motu percipiendum daret, & incessum non nisi cum claudicatione concederet, quod autem tam feliciter iterum conferruminatum est, ut & recte postea incederet & adhuc aliquoties facile foetus maturos enitetur, unde didici, quid ipsa natura ad spatium parandum faciat, & quid ad damnum resarciendum praestare queat; verum nolui mea cogitata Tuis laboribus immiscere.

Perge attendente mente res medicas ponderare, atque veterum aequae ac recentiorum inventa scrutari; & laborum Tuorum

rum & diligentiae in cursu academico demonstratae optata re-
portabis praemia, quae equidem eo animi affectu Tibi apprecor,
de quo & dudum & in futurum persuasus esse potes.

Dab. e Mus. d. XXI. Maj. 1780.



